

vocati estis in una spe vocationis vestrae, unus Dominus, una fides, unum Baptisma, unus Deus Pater omnium. Omnes itaque fideles membra sunt Ecclesiae Christi, unum vero Morale Corpus efficiunt unitate Spiritus, quo Christo conjuncti sunt per fidem, unitate baptismi, quo Christiani designantur, et fiunt, unitate sacramentorum, quae participant, et praecceptorum tum divinorum, tum Ecclesiasticorum, ac unitate subjectionis legitimis Pastoribus, et visibili a Christo constituto Capiti, per quam unitatem Ovile unum, et unum Ecclesiae Pastorem agnosceamus. Ita sane antiqui Ecclesiae Patres Irenaeus, Tertullianus, Cyprianus, et qui hos deinceps subsecuti sunt, Ecclesiae unitatem explicavere, ut nos infra ostendemus.

(57. Sancta quoque est Ecclesia Christi, ut tum in citato, tum in Apostolico Symbolo antiqua quoque Ecclesia professa est. Hinc Sanctus Petrus *Epist. 3, cap. 2*, vocat Ecclesiam *Genus electum... Gentem Sanctam*, etc., atque eandem a Christo sanctificatam, scribit Paulus *ad Ephes. et ad Tit. 2*. Sancta vero dicitur propter invisibile Caput Christum; propter fidei sinceritatem, quae in omnibus verissima est; propter Sanctitatem doctrinae, quae vitia et peccata omnia damnat, et virtutes commendat, nempe Fidem, Spem, Caritatem, etc., quibus exornata Christi Ecclesia est, et quae extra ipsam non reperiuntur, propter Sanctitatem finis, et mediorum; propter Sacramenta, quae veram gratiam non ponentibus obicem conferunt, ac demum propter Justos, qui numquam in ea desunt, qui scilicet rite Sacramentis utuntur, praecceptis obtemperant, et Ecclesiae doctrinam mores suos conformant.

(58. Est etiam Catholica Ecclesia Christi, hoc est Universalis, ac per totum notum orbem sensim diffusa. Liqueat id ex Malachiae prophetia *cap. 1*, et ex Matth. *cap. ultimo*, et ex ultimo capite Marci, in quo Christus praecipit Apostolis, ut *docerent omnes Gentes, et praedicarent Evangelium omni creaturae*. Hujus Ecclesiae tenendam fidem tradidit Cyprianus *lib. de Unitate Eccles. Cyrill. Catechesi 18*, Augustinus *lib. de Ver. Rel. cap. 7*, et Patres reliqui; atque haec vera est et fundata per Christum Ecclesia. Hac de causa in antiquo Symbolo vera Ecclesia *Catholica Ecclesiae* nomine designata est.

(59. Apostolica denique est vera Christi Ecclesia fundata *super fundamentum Apostolorum et Prophetarum*; propter depositum divinae revelationis Apostolis concredidit, quod sartum lectum custodivit; propter Apostolorum praedicationem, qua per universum orbem propagata est; propter legitimam Pastorum, qui Custodes sunt divinae revelationis depositi, ex Apostolis successionem; et praesertim propter non interruptam Romanorum Pontificum ex Petro successionem, ad quam veluti ad praecipuam Ecclesiae tesseram semper provocaverunt Patres. Placuit autem hic Patrum Auctoritates afferre, quo clarius res tanti momenti aperitur; Irenaeus *lib. 3 adv. haereses, cap. 3*,

ibi: « Maximae, et antiquissimae, et omnibus cognitae, a gloriosissimis duobus Apostolis Petro et Paulo Romae fundatae et constitutae Ecclesiae, eam quam habet ab Apostolis traditionem, et annuntiatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per caecitatem et malam sententiam, praeter quam oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorum principalem necessesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles. » Deinde Romanorum Pontificum a S. Petro usque ad Eleutherium, qui tunc in Petri Cathedra sedebat, catalogum texit; Tertullianus, *lib. de praescript. c. 32*: « Edant (haeretici) origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum, ita per successionem ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverint, habuerint auctorem et antecessorem. Hoc enim modo Romanorum Ecclesia Clementem a Petro ordinatum edit. » S. Cyprianus *epist. 27, ad lapsos*: « Dominus noster Ecclesiae suae rationem disponens in Evangelio loquitur, et dicit Petro: Ego tibi dico, quia tu es Petrus, et super istam petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferorum non vincunt eam, etc. Inde per temporum et successionum vias, Episcoporum ordinatio, et Ecclesiae ratio decurrit. » Optatus Milevitanus *lib. 2, contra Parmenionem*, sic eum alloquitur: « Negare non potes, scire te in urbe Roma Petro primo Cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus: in qua una Cathedra unitas ab omnibus servaretur, ne caeteri Apostolis singulas sibi quisque defenderent, ut jam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem Cathedram, alteram collocaret. » Deinde recenset omnes Romanos Pontifices a S. Petro usque ad Siricium, qui tunc Ecclesiam regebat, ut probet non esse veram Ecclesiam apud Donatistas, qui per similem successionem ad Apostolos usque ascendere non poterant, et quos sic alloquitur: « Vos vestrae Cathedrae originem ostendite, qui vobis vultis Sanctam Ecclesiam vindicare. » S. Augustinus *lib. contra Epistolam fundamenti cap. 4*: « In Ecclesiae gremio me tenet ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post Resurrectionem Dominus commendavit, usque ad praesentem Episcopatum successio Sacerdotum. » Et vero ipse Christus Ecclesiam suam supra Petrum primum Ecclesiae Romanae Episcopum et ejus successores fundavit, et promisit fore ut numquam illi Ecclesiae praevalerent portae inferi. Hinc illum S. Cyprianus *lib. de Unitate Ecclesiae*: « Qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, non deserit, in Ecclesia se esse confidit. »

(60. Stabilito, Christi Ecclesiam ex scripturis, ac antiquae Ecclesiae consensione esse Unam, Sanctam, Catholicam et Apostolicam,

facile ostendere est, per quatuor has notas conspicuam fieri, ac perspicuis characteribus veram omnibus demonstrare. Fac enim Ecclesiam ita nobis exhiberi, ut liquido constet, esse hominum multitudinem per totum universum diffusam, quae ab Apostolis vel eorum legitimis successoribus in Christi fidelium societatem cooptata, ac Christo per baptismum consecrata sit; quae per hujusmodi homines a Deo Episcopos constitutos ad regendam Ecclesiam regulata semper sit; quae per fidei professionem, sacramentorum susceptionem, ac debitam obedientiam semper, et ubique cum hujusmodi Pastoribus conjuncta fuerit, eisque ac visibili Capiti Romano Pontifici subjecta; quae fidem invariata ubique, ac semper servaverit, quam ii praedicarunt, quos Deus misit, et quibus depositum divinae revelationis concredidit, ac peculiarem assistentiam in eo dispensando et explicando promisit; quae denique sanctitatem illam servet et foveat, quam supra explicavimus: fac, inquam, ita nobis Ecclesiam exhiberi, an non illico constat, eam esse, quam Christus fundavit, quae per constitutos a Christo Ministros regitur, quae fidem, sacramenta, sanctitatem, ac reliqua pro salute hominum ordinata, intacta conservat? Ita sane! Nec alia nobis ratione constare potest vera Christi Ecclesia. Sunt ergo quatuor in Symbolo illo recensitae verae Ecclesiae notae.

(61. Ubinam vero in societatibus Haereticorum, quae modo vigent, sunt recensitae notae? Omnes enim separatae sunt a communione Romani Pontificis, qui Petri Cathedram tenet, quae centrum est unitatis, ut cum Cypriano omnes fere antiqui Patres loquuntur; et qui locum tenens Petri fundamentum illud est quod universam Ecclesiam sustentat, hoc est, Princeps et caput Ecclesiae Christi, cui firmum ac stabile illud praesidium promissum est, adversus quod portae inferi praevallere non possunt. (62. Deinde Catholicae, id est universales non sunt, cum non sint per universum diffusae, certis conclusae regionibus, ut discurrunt per Nestorianos, Monophysitas, sive Jacobitas, Photianos, Lutheranos, Calvinianos, aliosque Novatores facile patet. Nec semper fuere, sed initia sua habent in viris nonnullis, qui ab Apostolorum successoribus, ac legitimis Custodibus divinae revelationis, veluti contemptores verbi Dei, atque fidei, ac veluti Christi Ecclesiae contumaces perduelles damnati fuere, et a communione separati. Nestorius nempe in Ephesina Synodo, Monophytae in Chalcedonensi, Photiani denique, Lutherani, Calvinianique in aliis Conciliis, vel ab Apostolica Sede. (63. Ubi ergo Catholica est eorum Ecclesia? Ubi Apostolica, cum ab iis stabilita sit, qui obtemperare recusarunt Apostolorum legitimis successoribus, ac traditam per ipsos fidem rejecerunt? (64. Ubi denique in sectis illis sancti homines sunt, qui ad normam doctrinae Ecclesiae mores exigendo suos, ea fide ac virtutum sanctitate eluceant, quam Deus dono prophetiae et miraculis comprobet?

Scimus enim, Deum in quocumque statu iis signis ad conservandam revelatam doctrinam, ac Ecclesiam suam demonstrandam, usum esse, quae in eadem fundanda adhibuerat, ut nos supra innuimus. In sola vero Rom. Ecclesia sancti homines passim occurrunt dono prophetiae illustres, ac miraculorum gloria conspicui: ut expendenti canonizationum hominum acta manifestum sit. In iis enim post rigorosum examen heroicae virtutes, prophetiae eventu comprobatae, et miracula adeo aperta, quae in controversiam vocari nequeunt, demonstrantur. In sola ergo Romana Ecclesia Divina illa providentia apparet, qua Deus factam a se revelationem, ac fundatam Ecclesiam, divinae suae potentiae auxilio regi, et conservari demonstrat.

(65. In eadem Romana Ecclesia quatuor illae notae facile conspiciuntur. Haec enim una et invariata ostenditur per legitimam Pastorum ex Apostolis successionem, ac per divinam horum Pastorum missionem, quam ex ipsa ordinatione probant, et per non interruptam subjectionem Fidelium hujusmodi Pastoribus, qui eandem Fidei professionem semper emisere, eadem Sacramenta receperint, etc., qui denique una cum Pastoribus Petro, ejusque Successoribus, veluti Ecclesiae fundamento, atque Capiti adhaeserunt. Quamobrem veluti unum Corpus morale continuatum, ac proprio conjunctum Capiti exhibetur. Est ergo una. (66. Fuit praeterea quocumque tempore, ac semper per Universum societas haec diffusa, quae cum antedictis Pastoribus, et Romano Pontifice communionem servat; quamobrem ab omnibus Patribus Catholica habita, et nuncupata est. (67. Apostolica quoque jure meritoque appellata fuit semper, ac vera est; nam per non interruptam Successionem, ac per legitimam Romanorum Pontificum, aliorumque Episcoporum Ordinationem, Ecclesia haec ex Apostolis descendit; depositum divinae revelationis a Spiritu Sancto per Apostolos eidem Ecclesiae concredidit sancte custodivit, data occasione cum assistentia illa, quam Christus Pastoribus promisit dicendo: *Ecce Ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi*, eandem revelationem inculcavit, et explicavit; eos vero, qui obstinate propositam et explicatam ab ipsis revelationem, et dogmata per hanc demonstrata, recipere, venerari et credere nolunt, veluti Ethnicos et Publicanos, ab Ecclesia omnino avulsos, omni Communione privavit. Primo saeculo ejeti ex Ecclesia leguntur Ebionitae atque Gnostici: Secundo Cerinthiani, Marcionitae, Valentiniani, Patripassiani, aliique, ut apud Irenaeum *l. de Haeres. et apud Tertullianum l. de Praescript. legere est*: Terio Montanistae, Manichaei, ac praeter alios Pauliani a Paulo Samosateno ita nuncupati: Quarto, Ariani, Pelagiani, Macedoniani, atque alii: Quinto Saeculo avulsi, atque ejeti ab Ecclesia fuere Nestoriani et Euthychiani, ac paulo post etiam Monothelitae, atque ita sequentibus saeculis aliae haec



reticorum Sectæ pulsæ ex Ecclesiæ communi-  
one fuere.

(68. Venio nunc ad eos, qui ad Ecclesiam  
pertineant atque ad eos, qui extra Eccle-  
siam sine spe salutis dejecti sint. (69. Ac  
primo quidem facile patet, non solum præ-  
destinatos, perfectos et justos, sed etiam  
reprobos et peccatores Ecclesiam Christi  
complecti. Tum quia hæc comparatur aræ,  
quæ triticum et paleas contineat, sagenæ  
missæ in mare ex omni genere piscium con-  
greganti, *Matthæi* scilicet 3, et 23, et 1, *ad*  
*Timotheum* 2, magnæ domus, in qua non so-  
lum sunt vasa aurea et argentea, sed lignea  
quoque et fictilia, ac *quædam quidem in ho-*  
*norem, quædam autem in contumeliam.* Porro  
paleæ, mali pisces, et fictilia vasa, quæ in  
contumeliam sint posita, reprobos homines  
designant. Ecclesia ergo reprobos complecti-  
tur. (70. Deinde Ecclesia Christi visibilis est,  
atque hominibus conspicua, ut ad eam pro  
salute obtinenda venire possint, et ut etiam  
Pastores oves suas cognoscere valeant, at-  
que oves Pastoribus obtemperare. Si vero  
solis prædestinatis constaret, qui soli Dei  
cogniti sunt, visibilis profecto hac ratione  
non esset; quamobrem jure meritoque Con-  
stantiensis Synodus Wicleffi proscripsit erro-  
rem, quo solos prædestinatos Ecclesiæ ad-  
judicabat; et Augustinus *tract. 43, in Joann.*  
dixit: « Secundum præscientiam Dei et præ-  
destinationem, quam multæ oves foris, quam  
multi lupi intus! » scilicet Deus videt salvos  
futuros esse nonnullos, qui modo extra Eccle-  
siam, deinde Ecclesiæ membra futuri sunt,  
ac reprobos esse multos, qui intra Ecclesiam  
sunt. (71. Hic vero notare juvat, ovium Christi  
nomine aliquando venire solos electos dum  
scilicet speciali modo, nempe secundum præ-  
destinationem, Christi oves appellantur, per  
quem infalibiliter fiet, ut in æternum cum  
Christo unitæ permansuræ sint. Aliquando  
vero ovium nomine tum boni, tum mali de-  
signantur, qui in Ecclesia sunt: Sic *Joannis*  
ultimo Christus dixit *Pasce oves meas*. Ita  
*Psal. 73: Iratus est furor tuus super oves pa-*  
*scuæ*; et *Ezechiel. cap. 32*, describuntur  
oves, quæ misere pereunt, de quibus judi-  
cium exquiritur a Pastoribus.

(72. Reperiri etiam in Ecclesia peccatores,  
sive occultos, sive manifestos, ex ipsa Scri-  
ptura constat: nam *Matthæi* 13, dum modus  
præscribitur corrigendi ac puniendi peccato-  
res per illa verba: *Si peccaverit in te frater*  
*tuus, vade et corripe eum*, etc., perspicue os-  
tenditur, in Ecclesia non solum occultos,  
sed etiam manifestos peccatores esse, cum  
peccator adhuc fidelis et frater, adeoque Ec-  
clesiæ membrum dicatur. Fratres enim su-  
mus, quia Ecclesiam pro Matre habemus, et  
Christum pro Patre. Ostendi id quoque po-  
test ex parabolis convivii, in quo etiam erant  
non habentes vestem nuptialem, id est gra-  
tiam sanctificantem; et Virginum, inter  
quas quinque fatuæ erant, charitate videli-  
cet destitutæ. Nota autem res est, parabolas  
illas Ecclesiam exprimere. Rursus Aposto-  
lus, *1 ad Corinthios* 6, satis declarat, ince-  
tuosum Corinthium in Ecclesia fuisse, ante-

quam ipsius Pauli, et Ecclesiæ sententia Sa-  
tanæ traderetur. Vide Augustinum lib. 3,  
*contra Epistolas Petiliani* lib. 7, *de Baptismo*,  
et alibi passim hanc assertionem variis Scri-  
pturæ phrasibus comprobantem, et Hiero-  
nym. *contra Luciferianos* ita aientem: « Arca  
Noe Ecclesiæ typus fuit... ut ibi pardus, et  
hædi, et lupus, et agni; ita et hic (in Eccle-  
sia) justi et peccatores, id est vasa aurea et  
argentea cum ligneis et fictilibus commo-  
rantur. »

(73. Dicendum nunc paucis est de iis,  
quos Ecclesia Christi e sinu suo excludit,  
et extra ipsam sine spe æternæ salutis sunt  
positi. (74. Inter hos primo loco occurrunt  
hæretici, quin nullo modo iis suffragetur ex-  
cogitata a Novatoribus distinctio de Artic-  
ulis fundamentalibus, et non fundamentali-  
bus. Primo enim id liquet ex Patribus, qui  
Ecclesiæ nomine unicam communionem ve-  
nire docuerunt, ac extra Ecclesiam positos  
esse, qui ab hac sint communionem separati. Ita  
Irenæus lib. 3, *adv. Hær.* cap. 4. Tertullianus  
*de Præscr.* cap. 4. Clemens Alexand. lib. 7.  
*Strom.* Origenes lib. 1, *in Job.* Hieronym.  
*Dial. contra Luciferianos* circa finem, Hila-  
rius lib. 7, *de Trinit.* et alii. In omnibus  
quoque antiquis Conciliis eadem doctrina ex-  
posita et inculcata reperitur, ut videre est  
in Canonibus 6 et 10 Concil. Laodiceni, in  
quibus preces in oratoriis Hæreticorum of-  
ferre, et filias cum hæreticis matrimonio  
conjugere prohibentur fideles; in Can. 1  
Concilii Constantinop. I, in quo hæretici  
vocantur *qui ab Ecclesia abdicati sunt, et*  
*anathematizati*; et in Can. 7, Concilii Cartha-  
ginensis IV, in quo nomen Ecclesiæ dari pro-  
hibetur *Conventiculis hæreticorum*. Acce-  
dunt etiam Patres, et Concilia, quæ unam  
hanc Ecclesiam Catholicam dixerunt, a qua  
hæretici omnes anathematizantur, ut vi-  
dere est apud Tournelyum *de Ecclesia*  
quæst. 2, art. 1. Hæc vero omittenda duxi-  
mus, quod Jurieus fateatur, hanc Ecce-  
siæ unitatem statuisset, ac sibi effinxisset an-  
tiquos Ecclesiæ Patres. At si Patres priorum  
sæculorum, qui ab Apostolicis viris deposi-  
tum divinæ revelationis susceperunt, unam  
tantum Ecclesiam esse docuerunt, in qua spes  
insit salutis, atque hanc Catholicam esse,  
quæ hæreticos excludat, quis non videat, ita  
revera fuisse a Christo institutam societa-  
tem credentium? Nam Christus Dominus  
unum in ea futurum dixit Ovile, et Pasto-  
rem unum; unumque Corpus esse voluit ex  
variis membris invicem, et cum capite uni-  
tis, ut tradidit Paulus; et eos, qui Ecclesiam  
non audierint, tamquam Ethnicos et Publi-  
canos, quibus spes deest æternæ salutis, ha-  
bendos docuit *Matth. 16*, atque Paulus *ad*  
*Tit.* hæreticos devitandos jubet. Itaque Pa-  
tres, qui Ecclesiam unam esse docuerunt,  
quæ Sectas hæreticorum excludat, Christi  
Domini doctrinam, et divinam revelationem  
inlecularunt, quæ hæreticos homines devi-  
tare nos jubet, et ita ab uno Ecclesiæ Cor-  
pore eos avulsos, et separatos ob perduel-  
lionem, et contumaciam, ejusdem Ecclesiæ  
sententia, exhibet, ut inter Ethnicos et Pu-

blicanos recenseri debeant. Patrum ergo de  
unitate Ecclesiæ doctrina ea est quam Chri-  
stus et Spiritus Sanctus per Apostolos pro-  
mulgarunt.

(75. Neque ullibi apud veteres Patres oc-  
currit articulorum fundamentalium, et non  
fundamentalium distinctio. Distinxit utique  
semper Ecclesia, inter ea quæ expresse cui-  
que Christiano tenenda, et credenda sint,  
atque ea quæ generatim et implicite credere  
sufficiat, ut alibi ab ipso quoque Auctore  
expositum est: at pro hæreticis habuit eos  
omnes, qui quemcumque ab Ecclesia defini-  
tum et ad credendum propositum articulum  
pertinaci voluntate negassent. Ita, Hierony-  
mo teste, ii qui adversus Ecclesiæ defini-  
tionem Mosaicæ ceremonias cum Evange-  
lio servandas tradidere, ut salutem homines  
consequerentur, hæretici, atque de societate  
Diaboli habiti sunt, vel ipsa Apostolorum  
ætate, etsi id ad fundamentalem fidei arti-  
culum, juxta Novatores, non pertineret. At-  
que ita deinceps, qui Ecclesiam loquentem  
atque docentem eadem obstinatione audire  
recusarunt, pro hæreticis habiti sunt, ut dis-  
currenti per singulas Novatorum Sectas ab  
Apostolorum ætate ad Tridentinam usque  
Synodum, exploratum est. Et sane qui Ec-  
clesiam non audit per legitimos Pastores lo-  
quentem, Christum non audit, et tamquam  
Ethnicus et publicanus habendus est ex illo  
*Matthæi* 16, pluries citato. (76. Porro hære-  
ticorum nomine homines intelligimus qui  
Ecclesiam audire nolint, atque obstinata  
pertinacia ipsius decreta respuant. Itaque  
ex ipsa Christi sententia ab Ecclesiæ socie-  
tate separati habendi sunt. De his vero con-  
sulantur auctores supra citati. Ad schisma-  
ticos vero et excommunicatos quod attinet,  
sufficiant ea quæ ab Auctore Bibliothecæ  
sunt disputata: Nam quæ de iis disserunt,  
obvia sunt apud Bellarminum aliosque Theo-  
logos.

(77. Visibilis Christi Ecclesia numquam  
defuit, aut defectura est. Ita Catholici con-  
tra Novatores illos sentiunt, qui solam in-  
visibilem omnino indefectibilem prædicant,  
visibilem vero ita obscuram ac fere extinctam  
fuisse, ut visibilis amplius non fuerit. Con-  
sideranti Dei in fundanda et regenda Ecclesia  
sua providentiam, palam illico fit nec de-  
fecisse, nec deficere posse visibilem Christi  
Ecclesiam. Nam hæc societas est, extra quam  
nulla est spes salutis: In hac societate fun-  
danda Deus usus est visibilibus signis, ac  
perspicuis characteribus, quibus cognita et  
notissima esset hominibus, veluti ea, cui  
concredita sunt monita et præcepta, atque  
media necessaria ad æternam salutem, ut nos  
clare ostendimus de notis et characteribus  
divinæ revelationis disputantes (1).

(78. Si Deus omnibus conspicuam esse  
voluit suam revelationem per notissimos  
characteres, ac notam itidem societatem, cui  
revelationis suæ depositum concredidit, quis  
dubitet quin providentia sua, visibilem et

(1) Consultatur Liber cui titulus: I Caratteri della  
Vera Religione — opera dell' Eno Gerdil, Roma per  
il Barbiellini 1785. (EDIT. BARBIELLI.)

conspicuam conservare voluerit semper illam  
eamdem societatem, ad quam necesse sit ho-  
minibus accedere, ut consequi salutem pos-  
sint? Scimus enim, divinam providentiam  
eadem qua perfecit opera cura, eadem con-  
servare. (79. Si ergo divinæ providentiæ  
cura fuit, ut omnibus conspicua esset Ec-  
clesia, quam ipse fundaret, eadem cura visi-  
bilem atque omnibus conspicuam semper  
servabit. Atque huc spectant Veteris Testa-  
menti prophetiæ, quibus perpetuo duraturam  
prædictum est Ecclesiam Christi. Vide hu-  
jusmodi prophetias relatas a Tournel. art. 8,  
concl. unica. Hinc Christus *Matth.* ultimo  
n. 20. inquit: *Ecce ego vobiscum sum usque*  
*ad consummationem sæculi*; et *Matthæi* Ec-  
clesiæ suæ stabilitatem designans inquit: *Et*  
*adversus eam portæ Inferi prævalere non po-*  
*terunt*: Atque *ad Ephesios* habetur: *Ipse*  
*(Christus) dedit quosdam Apostolos, quosdam*  
*autem Prophetas, alios vero Evangelistas,*  
*alios autem Pastores et Doctores ad consum-*  
*mationem Sanctorum in opus ministerii, in*  
*ædificationem Corporis Christi, donec occurra-*  
*mus omnes in unitatem fidei, et agnitionis*  
*filiæ Dei.* Vides ergo, Christum stabilisse in  
Ecclesia sua Pastores, qui ad Mundi finem  
usque oves suas pascerent, quique in Acti-  
bus Apostolorum Episcopi dicuntur, positi  
a Spiritu Sancto ad regendam Ecclesiam Dei;  
atque hujusmodi Pastoribus promississe, se  
cum iisdem mansurum ad consummationem  
usque sæculi, hoc est, divinæ virtutis suæ  
præsidio atque assistentia se iisdem semper  
adfuturum; ac denique pollicitem fuisse  
nunquam portas inferi, hoc est Spiritum  
erroris atque nequitiae, adversus Ecclesiam  
illam prævalituras, quam Christus per Pa-  
stores a se constitutos regeret. Si Ecclesia,  
quæ numquam defectura est, ea est, quæ  
Pastoribus subest, est profecto visibilis, at-  
que est Catholica Romana Ecclesia per notas  
illas conspicua, quas nos supra exposui-  
mus.

(80. Huic Ecclesiæ infallibilis in decer-  
nendis fidei et morum controversiis aucto-  
ritas concessa est. Nam iis, per quos Ecce-  
siam fundavit, infallibilem in proponenda et  
explicanda doctrina auctoritatem contulit;  
Apostolis enim et Prophetis, quorum mini-  
sterio usus est in fundanda Ecclesia, infalli-  
bilem divini Spiritus assistentiam præ-  
buit, ut novatores quoque fatentur. Ergo  
iis quoque quorum ministerio utitur pro  
conservanda Ecclesia, quam indefectibi-  
lem esse voluit, eam assistentiam tribuat  
necesse est, per quam illibatam servetur  
depositum divinæ revelationis eorum cura  
et ministerio concredidit, alioquin  
cura in Dei providentia deesset, pro conser-  
vanda religione quam revelaverat. (81. Tra-  
didit vero divinæ revelationis depositum iis,  
quos ipse misit dum dixit: *Sicut misit me*  
*Pater, ita ego mitto vos*, quibus pascendi  
oves onus imposuit, dum dixit: *Sicut misit*  
*me Pater, ita ego mitto vos*, quibus pascendi